



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Series Episcoporum Archiepiscoporum Et Electorum
Moguntinorum, Trevirensium Et Coloniensium**

Kolb, Gregor

Rottwilae, 1725

VD18 12054054

XLVIII. D. Rvsticvs. XXII. Arch.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-64326](#)

puer arreptitus Regem adulterum proclamavit, nullis hominum viribus, tametsi Rex imperaret severissimè, loco amotus. Arvernensi dein Synodo, in qua Sacerdotum ambitus severè castigatus, & cœlibatus pro viribus imperatus, interfuit. Annis duobus elapsis, B. Aredium Theodoberti Regis familiarem virum, fugere aulam, & Clericis accedere docuit, advolantis columbæ augurio vocationem probante. Circa annum seculi huius 50. Bischoffsteinum castrum in ripa Mosellæ triginta turribus, Oratorio, propugnaculo & aquæ ductibus conspicuum, futuram Cardonæ Archidiaconorum sedem ædificavit. Annorum 32. Archiepiscopus annis tribus vitæ ultimis sensit maximopere & onus novum & cœleste solatium: Clotharium enim totius Franciæ Regem dum communione Fidelium, ob incestum, & parricidium privandum censuit, ab eodem in exilium ejectus, non tam sua, quām Regis miserrimi fata doluit: hinc enim mox extinctus, Nicetius verò à filio Clotharii Sigeberto Austrasiæ Rege restitutus an. 563. sanctissimam vitæ sanctæ coronidem imposuit, miraculis compluribus inter vivos & mortuos illustratus.

XLVIII. D. RVSTICVS. XXII. ARCH.

D. Rusticus S. Nicetio subrogatus dissolutionis vitæ maculas mirâ & rarâ sui conversione emendavit. Ea nimirum ætate D. Goar Sacerdos virtutibus clarissimus hospites multos hospitio excepit, præter Dei honorem & proximi salutem nullam facilè mercedem admittens. Verùm hac ipsa de causa à pravis hominibus in suspicionem sceleris vocatus, quin ad ipsum Archipræfulem delatus est. Tum forte, aut verius Deo mitente attulerunt infantem exposititum, patris Goaris, ut mentiebantur, sacrilegum natum. Rusticus igitur cùm juberet, ut præsentis pueri parentes Goar proderet, isque orationi intentus ipsum met infantem & patrem & matrem suam nominare rogaret, continuò om-

ni

ni exceptione major testis parvulus nupèr natus exclamavit: *Pater meus est Rusticus, mater mea est Flavia.* Hoc convictus & attonitus teste Archipræsul, Goarem iñocentissimum, se verò maximè reum confessus, pœnitentiam adversùs scelera remedium optatissimum in primis & postremis habuit curis; relicto namque publico honore ac munere, in eremum abiit obiitque miraculis illustratus. Seddit annis 9. usque ad annum 573.

XLIX. D. MAGNERICVS. XXIII. ARCH.

D. Goare Trevirensem Infulam non admittente, in Archipræsulem electus est Magnericus, factis egregiis insignis: is namque Theodorum Massiliae Episcopum Trevisos captivum perductum singulari charitate exceptit, bisque restituì Sedi suæ curavit, virtute fretus orationis, quam in D. Maximini æde pro Theodori incolumente, dæmone frustra obnidente, peragere est solitus. Alias cum D. Gregorio Turonensi trajecturus Rhenum infra Confluentiam, ubi cum Rege Hildeberto de restitutione Theodori actum, periclitatus naufragio, Reliquiarum S. Martini ope periculum evasit. Recreatus hoc beneficio ædem D. Martini ad Mosellam à Tetradio quondam Senatore excitatum, novo instauravit opere, addiditque pro majori cultu monasterium D. Benedicti Religiosis filiis incolendum. Ædem alteram D. Martino sacram in monte Martio, & tertiam Cardonæ ædificavit. Archidioceſin suam ipse visitando lustravit & emendavit, Cleri moribus ubique instauratis, exemplis maximè & verbis potens, laudibus in vita & morte eximiis ornatus. Diem suum obiit post Sedis an. 22. an. 596.

L. GVNDERICVS. XXIV. ARCH.

G Undericus D. Magnerico in Sede jussus succedere, dictus est asymbolus, quod re nulla singulari posteris innotuerit. Annis 5. sedet & seculum VI. obitu suo clausit.

M 3

SE-